



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

21. De fautoribus, defensoribus, & receptatoribus Hæreticorum, &c. Et an
contra tales, ut suspecti de hæresi possint Inquisitores procedere? Et
quomodo, & quibus pœnis puniri debent? Et inter alia, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

valabant, & insuper omnia illa confiscantur; quod si jam fuerint transmissa, poena pecuniaria duplicatur, & quidam Religiosus ob hoc crimen ex Consilio supremi Senatus Hispanici condemnatus fuit in sexcentis scutis, & in annua in suo Conventu reclusionem, & suspensionem interim ab Officio. Hæc omnia Castrus in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punit. 16. §. 10. quæ tamen antea notaverat in suis manuscriptis doctissimus Inquisitor San Vincente.

2. Non desinam tamen hic observare omnia supradicta titè procedere, quia existimantur tales delinquentes transferre arma & equos, &c. in terras infidelium & hæreticorum, lucrandi & negotiandi causa: secus autem si animo adjuvandi infideles & hæreticos in bella ad impugnandum Christianos hoc facerent: nam in tali casu ex circumstantiis delicti & qualitate personarum tanquam fautores & defensores hæreticorum, &c. possint adversus tales Inquisitores procedere, & secundum gradum suspicionis illos torquere & publice abjurationem imponere, & in alias poenas condemnare.

RESOL. XX.

De sodomitis, & de poena qua supradicti debent puniri?

Et notatur quod non possunt Inquisitores relaxare sodomitas Curia seculari, nisi sint incorrigibiles.

Et an Inquisitores habeant cognitionem nefandi criminis ex Constitutione Pij V. Gregor. XIII. & Bulla Clem. VII.

Et aliqua alia circa supradictos sodomitas. Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 20.

§. 1. IN Regno Portugallie ex privilegio Regis, & ex constit. Pij IV. & Gregor. XIII. Inquisitores habent cognitionem nefandi criminis, ut notat Emanuel Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 1. num. 16. Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 40. n. 45. & Soula in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 59. num. 10. quod etiam servatur in Regno Aragonie, Valentie, & Barchinone, ex Bull. Clem. VII. ut testatur Castrus Palaus in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punit. 12. num. 11. Henriquez lib. 13. cap. 24. n. 2. in glossa. lit. P. Narbona in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 8. num. 3. Salzedus in addit. ad pract. crim. Bernardi Diaz c. 86. & alij.

2. Notandum est verò, quoad poenas; quod in tali casu rei non abjurant, neque de levi, ut docet & testatur Emanuel de Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 1. num. 16. Sed si fuerint convicti, vel delictum fateantur, Curia seculari in actu publico relaxantur. Ita Castrus Palaus ubi supra, & alij. Si verò delictum fuerit attentatum, & non consummatum, flagellis ceduntur, & ad tñremes mittuntur. Nota tamen quod si quis membrum posuit intrinsecum, quamvis extrinsecum semen effundat, probabile est esse puniendum poena ordinaria sodomitæ. Ita Ioseph Sesse in decis. Regni Aragon. decis. 475. num. 5. tom. 4. Sed hoc Soula in aphor. lib. 1. cap. 59. num. 63. non intelligit pro uno actu, sed pro actibus huiusmodi repetitis, quia quod deficit ad complementum actus sodomitici, suppletur ex repetitione actuum in fraudem legis.

3. Non desinam tamen hic adnotare, Freytas in novis addit. tract. de Confess. sollicit. 9. 24. num. 136. docere contra Mouram, non posse Inquisitores relaxare sodomitas Curia seculari, nisi sint incorrigibiles. Sed quia hoc delictum non pertinet generaliter ad omnes Inquisitores, satis est hæc dixisse; neque enim lædendæ sunt pudicæ aures.

Tom. V.

RESOL. XXI.

De fautoribus, defensoribus, & receptatoribus Hæreticorum, &c.

Et an contra tales, ut suspecti de hæresi possint Inquisitores procedere?

Et quomodo, & quibus poenis puniri debeant?

Et inter alia, quæ circa hoc docentur tandem quaeritur, an non revelantes Hæreticos puniendi sint tanquam fautores?

Et an qui favet, & recipit consanguineos hæreticos incidat in poenam excommunicationis latam in Bullam Cana contra fautores, & receptatores Hæreticorum? Ex p. 4. tract. 7. Ref. etiam 21.

§. 1. CONTRA tales ut suspectos de hæresi procedere posse Inquisitores, observat Duardus in Bull. Can. lib. 2. cap. 1. §. 3. n. 4. & DD. communiter; ea verò quæ dicuntur de fautoribus hæreticorum, ut rectè notat Soula in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 25. num. 16. accommodanda sunt defensoribus & receptatoribus, sicuti è contra.

2. Hoc supposito, quoad abjurationem supradictorum actorum quod cum incurrant suspicionem leviem, vel vehementem pro qualitate circumstantiarum, & indiciorum, prudentes Inquisitores illas perpendendo, faciant illos de vehementi, vel de levi abjurare, ut eis videbitur. Et ideo Pegna in direct. part. 2. comment. 76. lit. C. sic asserit. Receptatores hæreticorum abjurationis poenitentiam patiuntur ob suspicionem hæresis, quam contraxerunt: an autem hæc abjuratio de levi tantum, vel vehementi fieri debeat, qualitas personarum, & genus receptionis demonstrabunt. Ita ille, qui autem verè fautores hæreticorum inveniuntur, abjurabunt de vehementi, & antea torquendi sunt. Quomodo verò in casibus occurrentibus facienda sit dicta abjuratio docet Michael Zanardus in direct. Theol. part. 3. cap. 134. fol. mibi 740. ubi ait. Abjuratio fautoris dupliciter fieri potest. Primò in genere abjurando omnes hæreses, & hoc quando fautor indiscriminatim omnibus favorem tulit. Secundò in singulari, quando is Calvinistis, v. g. & non Lutheranis favit. Sic ille. Sed audiamus Pegnam in direct. Inquis. part. 2. comment. 79. ubi sic asserit. In aliquo casu sustineri potest abjuratio generalis, non expressis particularibus erroribus & hæresibus, nam qui generaliter alicui favendo, aut etiam nulli favorendo Officium Inquisitionis impedit, in nullam specificam & particularem hæresim videtur consentire, & propterea nullam in specie poterit abjurare, sed in genere dicet se desertari omnem hæresim, cujus suspicionem impediendo Inquisitionis Officium contraxit. In hac tamen difficultate, quæ contemnenda non est, cum frequenter accidere possit, hoc amplius censeo observandum, ut inquiratur à reo qui impedit Officium Inquisitionis, vel alicui hæretico favit, adhibitis etiam tormentis, si ita causa ejus & conditio postulaverit, an cum eo habeat familiaritatem, & cur ei faveat; nam si auxilium exhibitum in favorem personæ potius, quam erroris tendere videatur, sufficet generalis abjuratio fautoris, vel impedimenti eo modo quo dictum est. Quod si secus res habuerit, & aliqua alia concurrat, ex quibus oriatur suspicio eum, qui exhibet favorem, eosdè illos errores profiteri, quos profitetur ille, cui favet; tunc præter generale impedimentum, & fautoris abjuratione cogendus videtur ad particulares errores abjurandos. Hæc omnia Pegna doctè ut semper solet, quem novissimè sequitur Duardus in Bull. Can. lib. 2. cap. 1. §. 3. n. 34. Verum quoad alias poenas præter recensitas à Põsifice in excomm. §. credentes, de hæ. quas non incurunt, nisi

X x 2

per

per annum in excommunicatione notati infortuerint, ut notat Palaus ubi *infra*, n. 2. & præter illas, quas enumerat Sanchez *tract. de hæresi, cap. 1. dub. 1. n. 20.* Farinacius *de hæresi, quæst. 182.* & alij penes ipsos; dicti fautores receptores, & defensores possunt puniri arbitrio Inquisitorum poenis pecuniariis, exilio, fustigatione, irremissis, aliisque corporalibus poenis pro qualitate delicti, & si opus fuerit, usque ad confiscationem bonorum. Ita Castus Palaus *in sum. tom. 1. n. 4. disp. 3. punct. 6. n. 4.* Sed hanc poenam confiscationis bonorum, contra fautores hæreticorum, non admittit Farinacius *de hæresi* q. 82. n. 55. & Cantera *in 99. crim. cap. 1. de hæret. n. 5. in fine.* Verum ego illam admitto, stante constitutione Pij V. *Si de protegendis*, in qua clarè contra supradictos infligitur talis poena.

Quoad hoc
sup. ex ref.
15. leg. do-
ctr. §. Non
desinam.
post med.
ver. Sed ori-
tur. & seq.

3. Notandum est tamen hic, titulum consanguinitatis, vel amicitie strictissimæ, non excusare in totum fautores hæreticorum à supradictis poenis, quæ latitudinem habent; sed debent moderari pro majori, vel minori sanguinis conjunctione, & ita docent DD. quos citat Soula *in Bull. Cœn. cap. 2. disp. 10. n. 4.* & sequitur *n. 6. in fine*, quibus addit Michaëlem Zanardum *in direct. Theol. part. 2. par. 1. cap. 5. q. 22. in fine.* Vnde Grassius *in decis. par. 1. lib. 4. c. 18. n. 35.* sic ait: Licet mitius puniantur consanguinei, uxores, amici, fratres, patres, filij, & similes personæ receptantes hæreticos sibi conjunctos, non tamen excusantur à tota poena, & per consequens non sunt penitus immunes à delicto. Ita ille, & hoc patet ex l. 2. ff. *de receptor.* ubi iuriconsulti loquens de receptoribus latronum, sic ait: Eos apud quos affinis, vel cognatus latro conversatus est, neque absolvendos, neque severè admodum puniendos, non enim par est eorum delictum & eorum qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt. Et licet Repertor. Inquis. *in ver. receptores*, §. *sed tamen receptantes*, & Paulus Ghirlandus *tract. de fortil. 99. n. 2.* afferant legem istam locum non habere in receptantibus consanguineis hæreticos, propter criminis immitatem, & in hanc sententiam videtur inclinare Gundiff. Villadiego *tract. de her. q. 16. in fin.* tamen contrarium tenet communis sententia DD. quos affert & sequitur Duasius *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 29. n. 11.* & Pegna *in direct. Inquis. part. 2. comm. 81. lit. B.* ubi optime observat in casibus occurrentibus consanguineorum, seu conjunctorum rationem habendam esse, nam filius receptans patrem, uxor virum, frater fratrem; levius puniendi sunt, quam si remotiores, sive alios, non ulque adeo conjunctos receptassent, aut defendissent. Vnde rejicitur opinio Simancæ *tit. 15. n. 20.* afferentis filium, uxorem & fratrem, receptantes patrem, maritum & fratrem hæreticum, non esse puniendos: nam, ut bene observat Pegna & alij, sunt equidem supradicti levius puniendi, quam alij conjuncti, non tamen sunt immunes omnino à poena; quæ omnia supradicta procedunt, etiam in casu dubio, videlicet an favens hæretico consanguineo, vel affini favorem præstiterit ob sanguinis conjunctionem, vel ob crimen hæresis; nam præsumptio facienda est excusans à culpa Ita Cast. Palaus *ro. 1. tr. 4. disp. 3. punct. 5. n. 13.* qui citat Simancam & Grass. *loc. cit.* Fautores igitur hæreticorum, non ut hæretici sunt, sed quia affines amici, &c. maximè si sint bonæ vitæ, ad summum abiciantur de levi & puniuntur leviter exilio, vel multa pecuniaria.

Sup. hoc in
tom. 9. tr. 13.
ex doctrin.
ref. 6. signa-
ter in fin. §. 1.
& ex Ref. 7.
ult. per tot.
signanter in-
ter princ. &
med.

Ex his inferitur solutio illius quæstionis, an qui favet, recipit, consanguineos, affines hæreticos, incidat in poenam excommunicationis latam in Bull. Cœn. contra fautores & receptores hæreticorum? Affirmative & ex Ref. 7. respondet Suar. *de fide disp. 24. sect. 1. n. 9.* Soula *in Bull. Cœn. cap. 2. disp. 10. num. 5.* Laym. *lib. 2. tract. 1. c. 14. n. 5.* Sanchez *de hæresi cap. 12. dub. nn. n. 3.* & alij penes ipsos.

4. Verum ego negativæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tucet Lorca in 2.2. D. Th. q. 11. art. 4. disp. 48. n. 6. Peyrinus *in privil. Minn. 10.2. confit. 9. Pauli. V. §. 2. num. 7.* Scottia *in Bull. Peni. epit. 9. theor. 27.* Megala *in 3. p. lib. 3. c. 1. q. 2. n. 27.* Duasius *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 29. & q. 31. n. 21.* Azotius *tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 4.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 10. n. 5.* & alij penes ipsos. Ratio est, quia ad incurramdam fautoriam, requiritur intentio formalis favendi hæretico, quia hæreticus est, ut colligitur ex *cas. cusatus*, §. *Sacerdotes*, de hæret. in 6. ibi, cum non sit dubium eos ipsa facere in favorem hæretice pravitatis.

5. In fine huius resolutionis restat inquirere, an fautores hæreticorum subiciantur supradictis poenis, licet effectus fautorie sequatur non fuerit. Ut si, v. g. hæreticum domi recepit ut illum ab Inquisitoribus liberaret, at non potuit, quia delinquentem ibi inquisitores invenerunt? Item quis dedit pecuniam hæretico ut fugeret ne caperetur à ministris Inquisitorum, & hoc non obstante captus est? Quæritur, an in his & similibus casibus quis dicatur fautor hæreticorum, & in poenas contra eos latas incurrat? Negativam sententiam tenet Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. c. 10. n. 9.* & novissimè Bonacina *tom. 3. in Bull. Cœn. disp. 1. q. 2. punct. 3. n. 3.* qui male, ut sæpe facere solet, citat pro se Suarez & Filiucium. Ratio est, quia mandans percuti Clericum, non incurrit in excommunicationem, non sequita percussione. Ergo &c. Secundo, quia quando aliquis effectus prohibetur sub excommunicatione, & minus principaliter prohibetur mandatum, vel consilium, vel favor, non incurritur excommunicatione ab eo, qui mandavit, vel consuluit, &c. nisi sequito effectu. Tertiò favor prohibetur hæreticis ne in hæresi foveantur, sed qui non obtinuit effectum favoris, non favet hæretico in sua hæresi, etiam si intenderit favere. Ergo non erit puniendus ut fautor.

6. At his non obstantibus, affirmativam sententiam tanquam probabiliorē teneo, quam tenet Suarez *de fide disp. 24. sect. 1. n. 14.* Sayrus & Grassus, quos citat & sequitur Castus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. n. 11.* quibus ego addo Megalam *in 3. part. lib. 3. c. 1. q. 2. n. 28* & Duasium *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 31. n. 2.* Et probatur primò, quia opinio contraria applicata casibus particulatibus, videtur incredibilis, & cōtra praxim, ut observat Suarez; nam qui non denunciat hæreticū, cum tenetur, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit, etiam si alter denunciet, & consequenter prior non consequitur effectum; & idem est de illo, qui per testimonium falsum hæreticum procuravit liberare, & non potuit, quia per alios testes convictus est. Probatur secundò, quia favor hæretico prohibetur non ut hæresis committatur, sed ne hæresis commissa firmitatem habeat; sed hic effectus semper obtinetur quoties auxilium in favorem hæresis præstat, saltem pro illo tempore, quo auxilium exhibetur, etiam si auxilium postea impediatur ergo, &c.

7. Restat modò respondere ad argumenta Sanchez. Dico igitur ad primum cum Suarez quod procedit, quando mandatum ordinatur ad executionem ejusdem delicti, v. g. homicidij in nostro autem casu non est ita, nam favor per se non ordinatur ut alter committat hæresim, imò illam supponit, sed ad tuitionem hominis hæretici ordinatur, & ideo hoc delictum in suo genere est consummatum, quamvis effectus non sequatur. Ad secundum respondeo cum Duas. & Sayr. *de conf. lib. 3. c. 5. n. 4.* quòd æque principaliter excommunicantur in Bulla Cœnæ & aliis iuribus hæretici, ac eorum receptatores & fautores in detestationem hæresis. Vnde non rectè adducitur doctrina in argumento contrario adducta. Ad tertium iam patet responsio ex secunda ratione superius adducta pro nostra sententia.

In S. Officio imponendis. Ref. XXII. 3521

8. Et tandem discutiendum est hic, an non revelantes hæreticos puniendi sint tanquam fautores? Affirmativè videtur respondendum ex Deciano *lib. 5. c. 5. n. 25.* & Pegna *in direct. p. 2. comm. 78.* quia supradictos ut fautores hæreticorum, esse de hæresi vehementer suspectos, docet Alphonsus de Castro *de just. hæret. puni. lib. 2. c. 23.* Verùm personas nobiles esse tantum de hæresi leviter suspectas, docet Michaël Zanardus *in direct. Theol. p. 3. cap. 134. fol. mibi 741.*

9. At his minime suffragantibus, Antonius Sanctarellus *de hæresi cap. 9. dub. un. num. 19.* & Suarez *de fide diff. 20. sect. 4. n. 28.* qui citat Simancam, docent supradictam sententiam non esse veram, nisi aliæ adfint circumstantiæ; unde inferunt, supradictos non esse puniendos pœnis latis contra fautores hæreticorum, sed aliis pœnis ad arbitrium DD. Inquisitorum, tanquam inobedientes eorum mandatis, & ideo nisi adfint, ut dictum est, aliæ circumstantiæ, puto supradictos, neque de hæresi suspectos esse, ut præter Sanctarellum & Suarez docet Io. Rojas *singul. 3. n. 18.* ubi sic ait: Qui non denunciatur, vel revelat Inquisitori hæreticum, reparatur suspectus vehementer de hæresi secundum Alphonsum de Castro, quæ sanè conclusio maximum rigorem in se continet. Sed in hoc casu, meo iudicio, sustineri potest, si ultra scientiam & taciturnitatem prædictam cum hæretico conversatur, & ei est nimis familiaris & amicus, & tunc contra non denunciantem violenta oritur præsumptio. Ita Rojas. Vnde ex his à fortiori apparet, ut optimè notat Sanctarellus, falsam esse opinionem Pegna *in direct. p. 3. comm. 160.* asserentis uxorem non denunciantem maritum hæreticum, esse de hæresi suspectam.

10. Verùm hæc opinio limitanda est in personis quæ ex officio, vel ex speciali præcepto tenentur denunciare, ut familiares, fideles, testis non deponens contra hæreticum, cum iuste ab Inquisitoribus interrogatur, &c. Vnde supradictæ personæ non denunciantes hæreticos, sunt de hæresi suspectæ, & tanquam hæreticorum fautores puniendæ. Et ita docet Sousa *in Bull. Can. c. 2. diff. 11. n. 6. & seq. Megala in 3. p. lib. 3. cap. 1. q. 2. n. 31.* Suarez *de fide, diff. 14. sect. 1. n. 6.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 10. n. 15.* & alij penes ipsos. Vide etiam Sesse *tom. 4. decis. 474. n. 17.*

11. Nota tamen quòd Castrus Pal. *tom. 1. tr. 4. diff. 3. punct. 5. n. 7.* advertit multos Doctores à fautoria hæresis liberare, quando solum ex speciali præcepto, & non ratione officij, tenetur quis præstare favorem, eo quòd non videatur adversus iustitiam, sed solum adversus fidem peccare in omitendo talem favorem, & ita non esse fautores hæreticorum singulares personas quibus ex officio non incumbit favere, & hæresim extirpare, docet Farinacius *de hæresi q. 182. §. 2. n. 36.* Tamen hanc sententiam contra Farinacium, & alios puro rejiciendam esse. Vnde Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. c. 25. n. 6. 7. & 8.* sic ait: Personæ privæ si à ministris requirantur ad favorem præstandum contra hæreticos, & cum possint auxilium præstare mittunt, fautores hæreticorum sunt. Et qui testimonium contra hæreticos ferre nolunt, aut veritatem celant, vel diminutè manifestant, cum ad veritatem dicendam ab Inquisitoribus adstringantur, fautores etiam dicuntur. Hæc Sousa *loc. cit.*

RESOL. XXII.

De revocantibus confessiones?
Et quid de testibus revocantibus suam testificationem?
Sed supereest difficultas, an Inquisitores scire debeant secundo dicto, etiam si testis neget hæresim, in primo dicto confessionem? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 22.

Tom. V.

§. 1. **M**iram rem docet insignis Inquisitor Didacus Canteria *in q. crim. c. 1. de hæresi n. 70.* nempe, eum qui ex intervallo confessus est, non esse tradendum Curie seculari, si confessionem suam revocavit, licet de errore non doceat, quia negari non potest, quòd per hanc revocationem aliquid diminuat de fide confessionis, nisi saltem constaret ex conjecturis, quòd Confessio fuerit revocata ex malitia. Vnde Iacobus Simanca *tit. 13. n. 14.* sic ait. In iudicio. S. Inquisit. quòcumque tempore, & modo reus Confessionem revocet, quamvis nec afferat causam probabilem, nec satis idoneam; admittitur tamen ejus revocatio, & si pro eo, sive contra eum, extremæ confessioni statur; hæc enim est, quæ efficit ut reus pœnitens, sive impœnitens videatur, & hoc jure utimur. Ita Simanca.

2. Sed si hæc opinio esset vera, & sequenda, haberent hæretici securum iter ad effugiendam pœnam debitam, revocando sic suam confessionem, & ideo Trevisanus *lib. 2. decis. 31. rectè* vocavit impœnitentem illum, qui confessione jam facta illam revocat, non docto de errore; unde in tali casu semper præsumitur dolus, & malitia in reo, & sic evadit pœnas debitas. Igitur contra Canteriam dicendum est, reum revocantem suam confessionem, etiam ante reconciliationem, & non probantem errorem & causam, quare erravit, tradendum esse Curie seculari, & hanc sententiam præter Io. Rojas *de hæresi p. 2. assert. 25. n. 265.* tenet etiam Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 472. n. 7.* Antonius Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 48. n. 22.* ubi sic asserit. Impœnitens, & negativus censetur, qui hæresim confessus, factam confessionem ante adimpletam pœnitentiam revocat, non probans causam talis revocationis, & nisi respiscat, tradendus est Curie seculari. Ita ille. Vide etiam Farinacium *de hæresi q. 188. n. 75.* Verùm non est negandum, quòd si confessio incontinenti in præsentia iudicis fuerit revocata, non nocebit confitenti, etiam non probato errore, quia lapsu linguæ & propter errorem præsumitur facta, & incontinenti dicitur revocatio facta, si reus esset adhuc in præsentia iudicis; ut notat gloss. *in ver. incontinenti, cap. præerea, de testib.* Secus autem intra triduum, ut aliqui voluerunt. Vide DD. citatos.

3. His tamen non obstantibus, in uno casu opinionem Canteria libenter admitterem, nempe quando reus revocat aliqua non plenè contra illum probata, ad excusandos complices affines, amicos, &c. & etiam si sint plenè probata, dummodo confessus sit & confiscatur adversus se hæresim consummatam, & alia de quibus non erat testificatus, in hoc enim casu raro relaxandus erit, quod est valde notandum pro hæreticis dimittendis, & ita docet Inquisitor San Vincente *in manuscr. cap. 5. num. 3. cap. 2. §. 6.* & ratio est, quia reus in his casibus præsumitur illas res revocare, vel celare ex metu, vel alia de causa, & non ex malitia; cum jam adversus se testificatus sit in re tam gravi, ut est hæresis formalis, &c.

4. Notandum est etiam hic obiter, quòd qui de hæresi factam confessionem revocat, post adimpletam pœnitentiam ut temerarius puniendus est Inquisitoris arbitrio, & nonnunquam fustibus castigari debet, addita comminatione gravioris pœnæ, si deinceps in eandem temeritatem incidere; intellige dummodo in revocatione non persistat, nam si persistat, tradendus est ut impœnitens. Ita Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. c. 48. n. 23.*

5. Sed quia dictum est de reis revocantibus suam confessionem, non injucundum erit, incidenter hic aliquid dicere de testibus revocantibus suam testificationem. Dico igitur, quòd licet in aliis causis magis stetur primo dicto testis, quàm secundo, ut inter alios docet Dec. *conf. 174. n. 7.* at in causis fidei speciale est, ut stetur posteriori dicto testimonio, quando verisimilius est